DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

ANÆMIA.

QUAM
BONO CUM DEO,
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN ILLUSTRI RAURACORUM ACADEMIA,
PRO
SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS
LEGITIME OBTINENDIS,
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

JOH. HENRICUS ZWICKI,
GLARONENSIS.
AUCTOR.

Ad D. 5. April. ANN. MDCCLIV.
H. L. Q. S.

BASILEÆ, Typis JOH. HENRICI DECKERI, Academiæ Typogr.

VIRIS

MAGNIFICO-AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,

DOMINO

JOH. PETRO ZWICKIO,

INCLYTÆ GLARONENSIUM REIPUBLICÆ
CONSULARI SIVE LANDAMMANO
MERITISSIMO &c.

DOMINO

JO. MELCHIORI ZWICKIO,

REIPUBLICÆ PATRIÆ SENATORI PRUDENTISS.

DOMINO

BARTHOLOMÆO
DE PARAVICIN,

OLIM TRIBUNO MILITARI FORTISSIMO,
NEC NON
PRÆFECTO FRAUENFELDENSI DIGNISSIMO

*AVO, PROPATRUIS, AGNATIS,
PATRONISQUE SUIS*

GRATI ANIMI CULTU, PER OMNE VITÆ TEMPUS
PROSEQUENDIS.

Hasce Studiorum suorum Primitias submisse D. D.

JOH. HENRICUS ZWICKIUS,

AUCTOR.



PRÆFATIO.

QUi liquidi vitalis ſive ſanguinis neceſſitatem in Corpore humano ad functionum in parte & in toto integritatem conſiderandam conſiderate perpendit, facile plures perſpiciet Ægrotationes, quæ ab Inopia ejus ſive anæmia exoriuntur. Omnia C. H. fluida ac humida, Chyli parte aliquâ excepta, a ſanguine fluunt, & per partes quaslibet ob humectationem, nutritionem, ſecretionem, & excretionem variam, ſenſum ac motum aliaque inde pendentia diſtribuuntur. Certâ igitur ac naturali opus eſt quantitate & qualitate ſanguinis, ut omnia iſta cum ſolidorum actionibus ſicut in ſanitate rite procedant. Exceſſus ejus æque ac defectus corpori damnum infert multifarium. De exceſſu ſive pletora authores practici uſitatiores, hinc & inde multa habent; de copia ſanguinis vero naturali ac debita minori ſive anæmia hujusque effectibus parcius dicunt. Quamobrem in hanc cogitationes

tiones meas derivavi, atque Speciminis inauguralis loco, penuriam ſanguinis cum effectibus & ſequelis pro viribus, ſequenti ordine exquirere conſtitui. Primo generalia quædam de anæmia, hujusque diverſitate exponere, ad ejus effectus dein paulatim progredi eosque paulo verboſius explanare conabor; ſubjungam denique nonnulla, quæ prophylaxin, ſive auxilia, quibus iſti anteverti poſſunt, reſpiciunt. Velit D. T. O. M. hunc meum laborem Gratiâ Suâ Divinâ ita ſecundare, ut in ſui Gloriam, proximique ſalutem cedat. Conatus leviores L. B. ut ſpero, condonabit, ob ætatem imbecillam, notionem & experientiam parcam.



DISSER-



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE ANÆMIA.

§. I.



T Anæmia & morbi, quos ea producere solet melius intelligantur, lubet præmittere quædam in genere de ejus Etymologia, definitione, varietate atque causis. Anæmiæ vocabulum a Græco ἄναιμος ȣ ex α priv. & αἷμα sanguis derivatur, & latiné hoc exprimitur sanguinis expers; Unde Anæmia est sanguinis in Corpore vivente penuria, a diversis oborta causis, debilitate, pallore, aliquando etiam febre aliisque symptomatibus hominem affligens. germanice appellatur, Mangel des Bluts.

 Hinc

Hinc forte dicitur, Ein blut armer Mann / Valde pauper homo; ob ſimilitudinem, ut videtur; deficiente enim in Corpore ſanguine vires & omnia alia fere deſunt, ita in ſtatu fortunæ & externo, ſi quis inopia laborat, omnibus aliis caret, adeoque ſæpe bono nutrimento & ſanguine. Latiori ſenſu anæmia quamcunque ſanguinis ſive liquidi vitalis magis aut minus boni penuriam denotat, quæ actiones in corpore lædit atque varios effectus producit, ut in ſequentibus patebit.

§. II.

Cacochymia, quam nonnulli aliquo ſenſu quoque ad anæmiam referri poſſe putarunt, ex ſententia Practicorum ea eſt humorum qualitas, quæ functiones partium lædit. (1) Variam hanc eſſe vetres juxta ac recentiores Medici dixere; id quod Hippocrati Medicorum antiquorum parenti jam notum fuiſſe ex ejus verbis conjicit Clariſſ. Joh. Philipp. Euſelius, quæ continentur in lib. de Veter. Med. §. XXIV. atque ita ſonant: „ Ineſt enim corpori „ & amarum, & ſalſum, & dulce, & acidum, & acer„ bum & fluidum & alia infinita omnigenas facultates ha„ bentia, copiamque ac robur. “ Modo allegatus Vir Clariſſ. in Compendio Pathol. §. XVIII. de Cacochymia ita ſcribit: „ Tot nempe ſunt, quot humorum in Cor„ pore hoſpitantium dantur generationes & gradualiter „ differentes acredines, ita ut vix inveniatur Medicus, „ qui omnes tales ſpecies, gradualiter differentes deſcri„ bere valeat. „ Utplurimum tamen notante Eodem loco citato, ad quatuor ſpecies reducunt Authores, nempe ad amaram, acidam, pituitoſam ac ſeroſam; quas antiquiores Medici bilioſam, ſ. cholericam, pituitoſam ſeu phlegmaticam, atrabiliariam ſ. melancholicam & ſeroſam appellarunt. Porro etiam in benignam & malignam ſive putridam dividebant. Sed quis non videt iſtam quadrupli-

(1) Boerh. Inſt. Med. §. 719.

plicem diſtinctionem eandem eſſe cum illa temperamentorum? De quibus vero plur. ediſſerere non eſt propoſitum noſtrum; hodierni namque Medici aliter longe ſentiunt ac judicant in hiſce rebus, ſicut eorum ſcripta perhibent.

§. III.

Cacochymiam igitur haud facile Anæmia complecti poteſt, quum vitium hujus in quantitate, iſtius autem in qualitate conſiſtat; aliquando tamen occurrit inter effectus Anæmiæ, ut ſuo loco in ſequentibus notabimus. Si quis vero diceret, non adeſſe in Cacochymia tot boni ſanguinis partes, quot ſanitas requirat, adeoque eam ad Anæmiæ ſpecies referri poſſe; reſpondetur facile, numerum partium ſanguinis, ad ſanitatem neceſſarium in corpore non deficere, ſed harum particularum forte figuram, ſoliditatem aut ſimile quid, uno verbo, qualitatem debitam abeſſe. Quamobrem hic defectus apud pleroſque auctores non anæmiæ, verum cacochymiæ nomine deſcribitur & explanatur; quam diſtinctionem a longo tempore receptam etiam ſequi voluimus.

§. IV.

Anæmia ſenſu nimis ſtricto & vi vocis ſumta, quia notat defectum totius maſſæ ſanguineæ, ideoque mortem, non erit conſiderationis noſtræ. Solliciti tantum erimus de Anæmia, quamdiu vitam & morbum ponit, & hinc varios effectus producit. Inſuper tenendum eſt; nunquam dari totius ſanguinis defectum, quia homo extinguitur, antequam omnis ſanguis corpore exierit; quamobrem etiam omnis ad guttulam uſque effluere nequit, ſed in cadaveribus poſt mortem plus minusve relictum deprehenditur. Anæmia autem vitam non deſtruens, aut non brevi nimis temporis ſpatio filum ejus abrumpens, varios habet gradus, prout major vel minor liquidi ſanguinei

copia

copia variis ſuis ex cauſis in corpore deficit, & hinc quoque in effectibus ac circumſtantiis Anæmiæ varietatem parit haud exiguam, actiones corporis quascunque debilitando vel turbando &c.

§. V.

In Ætiologia plurimæ quidem occurrunt anæmiæ cauſæ internæ ac remotæ, æque ac externæ & procatarcticæ, quæ tamen referri poſſunt vel ad hæmorrhagiam ſ. ſanguinis effuſionem aliquam nimiam: Quemadmodum ſunt hæmorrhagia vulnerum, narium, gingivarum, veſicæ, uteri, aliarumque partium; fluxus hæmorrhoidalis, menſium, lochiorum, nimius; vomitus cruentus, dyſenteria nimia; Sputum cruentum ſ. hæmopthiſis exceſſiv. venæſectiones & ſcarificationes nimiæ; Omnes igitur causæ ejusmodi profuſionum ſanguinis nimiarum erunt quoque cauſæ anæmiæ; foret nimis longum & etiam ſuperfluum, ſi vellemus deſcendere ad quælibet ſingularia, & iſtarum enumerationem prolixam adducere, vel & multis exponere; an anaſtomoſi, vel diæreſi, vel diapedeſi ſanguis in variis caſibus effundatur? Quo mihi rectius videtur de hiſce ſub hæmorrhagiæ caſibus diſſerere. Aliæ cauſæ anæmiæ quærendæ in morbis variis acutis atque chronicis, cum evacuatione quadam enormi, aut obſtructione vaſorum lacteorum, glandularum meſenterii, ductus thoracici, viſcerum aliorum, vel & ſine manifeſta aut apparente obſtructione ſive infarctu dictarum partium, vel & ſcirrho: ut in quartana, tertiana diuturna, lenta febri &c. in quibus ob anorexiam inſufficiens alimentum non generat ſat ſanguinis; vel ingeſtum alimentum haud ita coquitur ac digeritur, ut inde debita ſanguinis copia fieri poſſet. Quamobrem anæmia utplurimum quoque inter reliquias variorum morborum ſuperatorum: ut dyſenteriæ, leuenteriæ, hydropis, febrium &c. occurrit. Vel etiam huc ſpectant

evacuationes f. rejectiones aliæ nimiæ: Uti ſunt diarrhoea colliquativa, fluxus hepaticus, cæliacus, vomitus perpetuus, ſudor nimius, ſalivatio enormis, diabetes, ſynovia, ulcera nimis & perpetim manantia &c. vel denique anæmiæ cauſa in nimis diu tolerata fame conſiſtit. Omnia igitur, quæ hoſce morbos acutos & chronicos ut cauſæ antecedunt, erunt quoque anæmiæ cauſæ paulo remotiores. Harum autem recenſione ſuperſedere poſſumus, quia pertinet ad ætiologiam iſtorum morborum. Sed exquiramus nunc breviter, quomodo variæ hæ cauſæ anæmiam inducant. Ratione hæmorrhagiæ ſive effuſionis cujuscunque ſanguineæ nemini non perſpicuum eſt, eo ipſo in Corpore anæmiam fieri, quo cruoris copia nimia per aperta vaſcula effluit. In cæteris ejectionibus ſupra memoratis, quamvis ſanguis purus non egrediatur, ejus tamen partes ſeroſæ & aliæ ita a reliquis ſecedunt, ut relicta in Corpore vitalis liquidi copia viribus ſuſtinendis atque conſervandis ſit impar; Unde evidens ratio anæmiæ ex ejusmodi evacuationibus nimiis ortæ. Paulo aliter ſe res habet in obſtructionibus ante dictis & variis morbis chronicis, in quibus nullus, vel non ſufficiens aut in ventriculo & inteſtinis non ſatis elaboratus chylus ad ſanguinis oceanum delatus, debitam fibrarum elaſticitatem copiamque requiſitam ſpirituum animalium, pro actionum corporis omnium conſervatione producere nequit. (2) Hæc namque ſupponunt debitam ſanguinis quantitatem in Corpore; Sed ex chylo nullo, vel inſufficiente iſta copia generari atque conſervari non poteſt, ergo neceſſe eſt oriatur anæmia; quemadmodum etiam in fame diu tolerata accidit. Si autem ab alimentis parum nutrientibus aliquis non ſatis chyli atque ſanguinis accipiat, ſimili modo gradum aliquem anæmiæ oriri, manifeſtum eſt. An ætas decrepita quoque pertineat ad cauſas anæmiæ; Aliquomodo videtur? Prout nunc harum cauſarum gradus

 ſunt

(2) Vid. Th. Zwing. Th. Prax. Med. p. 51.

ſunt varii atque diverſi, ita quoque anæmiæ hujusque effectuum plures & varii ſunt gradus, quorum forte leviores in quibusdam caſibus minus obſervantur, ob multa ſymptomata juncta, quæ ſæpe ex aliis cauſis atque morbis produci ſolent. Interim quum hactenus enarratæ cauſæ ſatis frequenter incidant, non poſſumus non cum quibusdam authoribus ſtatuere, anæmiam frequentiorem eſſe, quam vulgo cogitatur. (3) In obſtructionibus autem memoratis & in fame diuturna non tantum ob defectum chyli, ſanguinis inducitur penuria, ſed etiam quia in hiſce circumſtantiis attritiones particularum nutritionis, ſecretiones & excretiones, alvi puta, urinæ, materiæ ſanctorianæ, ac ſudoris, muci narium, ſalivæ &c. pergunt, adeoque maſſam ſanguinis perpetim minuunt, & hinc ad anæmiam aliquid quoque conferunt. Memorabilia quædam exempla hominum fame & anæmia extinctorum, Excell. Rivinus (4) ex Diemerbroockio recenſet: Ejus verba hæc ſunt: " Obſervavit hic in quodam viro, „ qui vitæ pertæſus per aliquot ſeptimanarum abſtinen-„ tiam ſe ipſum fame & ſiti extinxerat, omnes minores „ venas meſaraicas, intercoſtales, & ſimiles quaſi deletas, „ ipſum autem ſanquinem adeo paucum fuiſſe, ut ex ve-„ na cava vix tria cochlearia cruoris effluxerint, aorta „ autem omnino fuit vacua. In altero autem ob diutur-„ nam inappetentiam longa inedia emaciato tandemque „ mortuo venas ſimul & arterias in tantum inanitas inve-„ nit, ut ex arteria magna nihil, ex vena cava vix duo „ cochlearia ſanguinis emanarint. „ Quis vero auſit affirmare, exiguas has ſanguinis reliquias ſufficere potuiſſe ad nutritionem totius. Anæmia quæ in nonnullis morbis cum acutis, tum chronicis occurrit, ubi neque evidens viſceris alicujus obſtructio, neque una ex ſupra memoratis ejectionibus nimiis obſervatur, naſci videtur vel ab impedita

(3) Vid. Th. Zwingeri Th. Prax. Med. l. c.
(4) Diſſert. XXVIII. de netrutione p. 527.

pedita chyli ac ſanguinis generatione, vel a lenta liquidi vitalis conſumtione per varios ſeceſſus partium ejus, vel ab utraque ſimul. Exempl. Gr. in Phthiſi pulmonali, partes ſanguinis partim ſecedunt & mutantur in pus, partim ſudoribus e corpore ejiciuntur, partim non ſatis chyli coquitur, aut in ſanguinem vertitur. In omnibus igitur morbis, qui ſanguinis copiam nimis minutam habent junctam, ſemper uno vel altero ex dictis, vel non multum diſſimili modo hanc produci nobis perſuaſum habemus. En exemplum aliquod in muliere ruſtica, annorum ætatis circiter quinquaginta, conſtitutionis corporis tenerioris, quam vulgo in ruſtica gente eſſe ſolet; quæ poſtquam per aliquod tempus toto corpore male habebat atque debilitatem ſentiebat, cum appetitu dejecto aliisque ſymptomatibus, tandem Noſodochio Tigurino excepta, curæque Exper. atque Clariſſ. Dom. Doct. & Archiatri Abeggii, Præceptoris mei colendiſſimi permiſſa fuit, qui multa quidem ſecundum requiſitas indicationes adhibuit remedia, quibus tamen nihil proficiebatur; pergebant quippe debilitas, ſiticula, anorexia, febricula, corporis lenta extenuatio &c. Inter hæc ægrota aliquando famulis adjuta, cum lectulo ſurgeret atque paſſus aliquot gradiretur, ſenſim in terram procidens e vivis excedebat. Quo audito modo laudatus Vir Experientis. conſtituit, ad cauſam morbi mortisque detegendam, cadaver cultro anatomico ſubjicere. Igitur oportuno tempore & loco ad hoc opus accedebatur, atque abdomine aperto ſtatim in conſpectum veniebat ſcirrhus ventriculi, qui maximam partem orificii ſuperioris ſive cardiæ occupabat, idque adeo anguſtum reddebat, ut vix quicquam cibi tranſire potuerit. Cæterum corpus valdé extenuatum vaſaque multum depleta conſpiciebantur. Ex quibus nunc cuilibet facilé perſpicuum eſſe credimus, quænam fuerit cauſa morbi cum anæmia, & mortis? In hoc enim caſu nonne ſanguinis penuria a defectu chyli, mors denique a nimis retardato ſanguinis, forte & ſpirituum animalium influxu in cor, cum ægra ſubito ſurgeret & incedere vellet, ante

lectulo ſatis diu affixa? in iſto autem ſubitaneo erectionis motu probabiliter ſanguis in vena cava & arteriis carotidibus ob vires vaſorum debiles, copiamque cruoris nimis minutam aſcendere ſatis cito non potuit, hinc itaque motus vitalis deſtructus mortem induxit. Cauſa anæmiæ proxima videtur conſiſtere in ipſa iſta ſanguinis imminutione, quam una, vel altera, vel plures ex ſupra allatis externis ac internis cauſis producunt, atque hinc etiam nunc ſimplicem magis, nunc complicatam faciunt anæmiam. Sed progrediamur nunc ad anæmiæ phænomenographiam, ſive effectuum ac morborum contemplationem, qui ex iſta proficiſcuntur.

§. VI.

Anæmia, quamvis aliorum morborum, ut hactenus vidimus, plerumque ſit ſymptoma, nihilominus ſuos quoque edit plures varioſque effectus atque morbos, qui commode dividi poſſunt in primarios ſive eos, qui iſtam variis ex cauſis factam ſtatim concomitantur, & ſecundarios ſive alios, qui citius tardiusve primarios iſtos ſequuntur. Ad priores referuntur ſanguinis & humorum actio naturali minor in vaſa, & quoniam omni actioni, ut in Phyſica docetur, ſemper æqualis & contraria eſt reactio, hinc etiam cæteris paribus erit vaſorum actio in ſanguinem ac cætera fluida corporis naturali debilior. His autem junguntur circulationes, ſecretiones, & excretiones magis aut minus turbatæ, vel minutæ, pro diverſo gradu anæmiæ atque circumſtantiis aliis variis. Quamobrem etiam diverſi gradus obſervantur pulſus debilis, ac parvi, attritus ſolito minoris & hinc caloris minuti ſive frigoris, præcipue in membris extremis ſive a corde remotiſſimis, debilitatis & in magno anæmiæ gradu aliquando animi deliquii, vel etiam palpitationis aut potius tremoris cordis, palloris, coctionis & digeſtionis in primis viis debilioris, tranſitus humorum per minimas vaſorum anguſtias tardioris, aut impediti, ſomno-

ſomnolentiæ aliorumque ſimilium. Ubi tamen probe obſervandum eſt, horum effectuum primariorum varietatem, ratione numeri & gradus diverſi, in quovis caſu non tantum & unice pendere ab anæmia ejusque diverſo gradu, verum ſæpiſſime etiam aliquid facere ſymptomata alia, quæ ex aliis cauſis morbum concomitantur, in quo ſimul anæmia occurrit. Videamus nunc modum, quo hi effectus primarii ab anæmia producuntur.

§. VII.

Ut intelligatur, quomodo in præcedenti paragrapho enumerati effectus ex anæmia oriantur, conſiderandum eſt, actionem humorum in vaſa, horumque reactionem ſive renixum in fluida indeque pendentes circulationes, ſecretiones & excretiones, quemadmodum in ſanitate exercentur, ſupponere inter alia ſanguinis ſive liquidi vitalis quantitatem ac qualitatem naturalem. In anæmia non adeſt copia naturalis ſanguinis ſed minor §. I. hæc autem vaſa naturali ac debito modo implere & expandere nequit; hinc etiam vaſa ob æqualitatem reactionis ſupra ex Phyſicis allegatam minus juſto agitant, premunt, pellunt comprimunt, mutant contenta liquida. Nonne ex hisce nunc evidens eſt ratio pulſus debilis ac parvi? Conſiſtit enim hic in debili ac parva arteriæ dilatatione & contractione, hanc autem præcedit cordis contractio debilis. Elucet porró ex his ratio debilitatis & in magno anæmiæ gradu palpitationis cordis & animi deliquii. Frigoris ratio quærenda eſt in minore attritu, hujus vero in actione debili ſolidorum ac fluidorum. Sanguinis copia minuta vaſcula cutanea minus replens, per eaque minus transparens rationem continet palloris, cujus reſpectu, ſi juncta fuerit corporis extenuatio tritum illud valet: Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto. Neque difficilioris eſt intellectus ratio ſecretionum & excretionum turbatarum, vel imminutarum aliorumque effectuum; qui ſubinde intercurrunt: uti ſunt ocu-

lorum caligo, aurium tinnitus, ſenſuum torpor, dyſorexia, febris &c.

§. VIII.

Ex primariis hiſce anæmiæ effectibus citius, vel tardius, pro vario ejus gradu, varia temperie ægri variisque cæteris circumſtantiis, ni ea ſanetur, aut mors antecapiat futura phænomena, ſequuntur alia secundaria diverſa mala: Uti ſunt cacochymia, cachexia, leycophlegmatia, hydrops anaſarca, aſcites, alia. In anæmia fluida corporis nimis imminuta minori vi agunt in vaſa; hæc ſimiliter agunt in iſta, ita ut minus coquantur, ſubigantur, elaborentur, mutentur. Igitur ex chylo forte minus perfecto, ob debilem quoque organorum chylopoiiticorum functionem ſanguis quantitate ac qualitate bonus ſemper generari nequit, ſed paulatim accumulantur partes ſeroſæ, viſcidæ, lentæ, acres, quæ facile hinc & inde ſubſiſtunt, ſicque ſtagnationibus, obſtructionibus & morbis paulo ante dictis originem præbent. Conferre quoque videntur, ad horum productionem ſecretiones & excretiones turbatæ aut imminutæ §. VII. Si quis hac in re deſideret Authoritatem ac obſervationes aliorum; En locum ex Celeberr. Th. Zwingeri Theatr. prax. med. pag. 51. ubi hæc verba leguntur: " Etenim ſanguinis defectum ſubſequi ſolent „ utplurimum, cachexia, cacochymia, apepſia, hydrops „ aliive morbi non contemnendi. „ Huc etiam trahi poteſt quod in Cel. Fridr. Hoffmanni Opuſcul. pathologico-practic. diſſertat. II. de ſalium morboſorum generatione in corpore humano pag. 34. occurrit, ubi Auctor ſequentia habet: " deinceps veriſſime monet Hippocrates de „ priſc. med. non modo ex plenitudine, ſed etiam ex „ inanitione gravia orivi mala, eſtque ex iis præcipuum „ magna ſuccorum impuritas. „ Eadem quoque confirmat experientia quotidiana. Nonne frequenter admodum unam, aut alteram ex ſupra recenſitis ejectionibus nimiis

cum

cum anæmia ſequitur cachexia, quæ ſecundum Celeberr. Frid. Hoffmannum gradu tantum differt a cacochymia; & ex ea ſenſim aucta tandem leycophlegmatia & hydrops? Nonne hic ſæpe Phthiſi, ſcorbuto aliisque morbis chronicis ſupervenit in fine, antequam ægri mortem oppetant? Inclytus Boerhaavius inter cauſas cachexiæ & hydropis, evacuationes habet nimias, præcipue ſanguinis arterioſi. Talis igitur liquidi vitalis nimia profuſio, quia ſine aliis intervenientibus anæmiam producit, quam dein ſequuntur cachexia & hydrops; ſuo ſenſu tanquam iſtius effectus conſiderari poſſunt hi morbi. Coctionis defectum ſive apepſiam Celeberr. Zwingerus, ut ſupra vidimus, quoque ad effectus anæmiæ retulit. Ejus autem ratio videtur in debilitate actionum &c. poſita eſſe, de qua antea jam egimus. Tabi ſive extenuationi corporis anæmia anſam præbere poteſt, partim ob inopiam particularum nutrientium, partim etiam ob minus debitum motum & applicationem earundem ad loca requiſita, quia in anæmia actio vaſorum in fluida, horumque motus per iſta minuuntur, turbantur &c. Iſtud autem probe tenendum eſt, non omnem ſanguinis penuriam ſtatim, aut ſemper corporis conſumtionem poſt ſe trahere, id quod de cæteris anæmiæ effectibus nonnullis, primariis æque ac ſecundariis quoque ſtatuendum eſt. Polypus cordis vaſorumque majorum nunc etiam ſe offert tanquam morbus anæmiæ originem debens. Producitur hic ſecundum Galenum a craſſis lentisque humoribus. Alii dicunt a humoribus viſcidis & gelatinoſis naſci. (1) Celeb. Frideric. Hoffmannus (2) de origine ejus inter alia hæc habet: „ Verum enimvero non minus ſanguinis abundantia, „ quam magna ejus inopia ad obſtructiones & concretiones polypoſas viam pandit facillimam. Hinc mihi „ a magnis crebriusque repetitis hæmorrhagiis ſæpiſſi- „ me

(1) Vid. Eyſel. Patholog. ſpecial. §. LXXXIIX. Harder. apiar. obſerv. LVI. Schol.

(2) Med. Rational. ſyſt. Tom. IV. P. IV. Cap. X.

„ me morbos ex polypis ortos advertere licuit ; dum „ enim fibræ , ob nimiam diſtenſionem laxiores porique „ redditi ſunt ampliores ; omnis generis craſſi viſci- „ dique humores transmittuntur , qui polypis progignen- „ dis apprime exiſtunt idonei. „ Clariſſ. Joh. Ooſterdyk Schacht in Inſtit. Medic Pract (3.) de productione Polypi ita loquitur : " Quum vero illa intima miſcela imprimis „ tollatur quiete & ſtagnatione ſanguinis , evidens eſt „ omne id , quod efficit, ut ſanguis in corde ſtagnare „ & quieſcere cogatur , cordis polypum producturum eſ- „ ſe. „ Et ita alii quoque hanc rem fere ſimili modo explicant. In Anæmia igitur hoc modo polypum fieri exiſtimamus : ob cruoris copiam valde imminutam vaſa & cor non ita agunt ſuis contractionibus in ſanguinem , ſicut ad hujus motum & propulſionem naturalem ac debitam requiritur ; facile hinc in corde , vel majoribus hujus vaſis particulæ ad motum ineptiores, concreſcibiles alicubi lateri adglutinatæ , & paulatim novis accedentibus quoad numerum auctæ , tandem concreſcentes in maſſam nunc majorem, nunc minorem ſanguineo-ſeroſam polypum conſtituunt varium ; Qui eo facilius naſci videtur, quo major eſt anæmiæ gradus , vel & quo plures cauſæ concurrunt , de quibus agere hic non eſt noſtri inſtituti. Parum diſcrepant , quæ apud Celeb. Fridr. Hoffmannum (4) de hac re extant, & ita ſonant: " Impeditior ſanguinis „ per vaſa progreſſus ad polyporum generationem multum „ contribuit , nam a ſanguine intra vaſa ſubſiſtente ejus „ fluidæ partes perquam facile ſecedunt, unde fit , ut „ ſolidæ & craſsiores procedente tempore concreſcant & „ firmius coagmententur. „ Si febrim anæmia junctam habet, & eapropter ſit quæſtio ; an ex ea tanquam effectus naſcatur ? Obſervandum hic eſt , iſtam per ſe non ſtatim omnem ſanguinis penuriam ſequi , hujusque effectum conſtituere, ſed aliis intervenientibus quandoque accedere,

(3) Cap. IX. §. IX.

(4) Tom. II. Cap. III. de motuum. microcoſ. leg. §. XXII.

cedere, vel etiam ex aliis caufis generari & cum cæteris fymptomatibus anæmiam dein concomitari. Ex hisce commemoratis anæmiæ effectibus fi non omnibus, faltem præcipuis, aut frequentioribus, alia plura fæpe inducuntur phænomena, antequam mors fequatur, quæ ultimus eft ejus effectus.

§. IX.

Ex hactenus traditis atque breviter explanatis caufis & effectibus anæmiæ, diagnofis, prognofis atque indicationes curatoriæ facile cognofcuntur. In diagnofi enim figna nobis præbent anæmiæ præfentis, hæmorrhagia quædam infignis, vel una ex cæteris fupra memoratis ejectionibus five evacuationibus nimiis prægreffa, debilitas omnium corporis partium, five ut Celeberr. Th. Zwingerus habet (1.) virium defectus fine ullo alio præfente morbo, quando fcilicet anæmia ab alio morbo fere fola relicta eft; & quia in debilitate proficifcitur quoque ineptitudo aut fegnities ad motum corporis, & membrorum, hanc etiam fignis diagnofticis adfcribere poffumus cum pallore imprimis faciei, fomnolentia, venis cutaneis collapfis aut minoribus quam in ftatu naturali effe folent, pulfu debili ac parvo, alimenti inopia, ut apud pauperes, præcipue tempore annonæ caritatis, anorexia perpetua; quibus reliqui antea expofiti effectus addi poffunt. Quo plura horum fignorum in dato aliquo cafu concurrunt, eo evidentior & magis certa eft diagnofis. Ni enim prægreffa & manifefta fuerit una ex dictis ejectionibus, aut obftructio viarum lactis, aut vifceris alicujus cum diuturno cibi faftidio, vix ac ne vix quidem fignum pathognomonicum quisquam difcernere poterit; enumeratorum namque effectuum quosvis & ex aliis quoque caufis nafci, & alios atque alios morbos comitari poffe quotidie obfervamus.

(1) Loc. fupr. cit.

§. X.

In prognoſi ſi quis de anæmiæ exitu rite judicare velit, varium ortum ejus atque gradum cum omnibus circumſtantiis probe examinare debet. Anæmia ex morbo aliquo diuturno ac inſanabili orta cæteris paribus quoque eſt inſanabilis. Anæmiæ gradus inſignis, in corpore minus ſalubri a graviori quadam cauſa vel morbo factus, valde periculoſus eſt. Anæmia inſignis cum frequenti lypothimia, aut diutius durante fere lethalis. Anæmia ex hæmorrhagia quadam non lethali, in corpore cæterum ſalubri, vel a morbo quodam ceſſante relicta ſine aliis malis, non eſt periculoſa, ſed pro variis circumſtantiis nunc citius, nunc tardius ſanari ſe ſinit. In quolibet igitur caſu anæmiæ ex prægreſſis ac præſentibus rite inter ſe comparatis ſigna eruuntur prognoſtica debitaque cognoſcuntur præſagia.

§. XI.

In curatione anæmiæ unica fere eſt indicatio, nempe vitalis, cui ſatisfaciendum eſt; hac enim viribus vitæ proſpicitur; In anæmia autem hæ ſunt imminutæ ob ſanguinis penuriam; erunt igitur augendæ reſtitutione debitæ liquidi vitalis copiæ. Hanc reſtituunt optima quæque alimenta & potulenta. Solo itaque fere indigemus fonte diætetico, quia auxilia reliquorum non nutriunt; penitus tamen non rejicimus corroborantia atque confirmantia, ex fonte pharmaceutico. Sed multa opus hic eſt diſtinctione atque ſelectu propter varias anæmiæ cauſas; diverſasque circumſtantias, ratione ætatis, idioſyncraſiæ, regionis, conſtitutionis, gradus morbi diverſi aliorumque ſimilium.

§. XII.

§. XII.

Quod ſi itaque anæmia a ſanguinis aliqua nimia profuſione orta fuerit; præter quietem animi & corporis, in loco quodam ſalubri, aeris temperati, pro cibo commendamus juſcula carnis vitul. gallinar. junior. cum gelatina raſur. ebor. & c. c. juſcula farinac. avenac., vel cum ſemine gramin. Mannæ cocta, aut cum oryza, aut hordeo; juſcula lactea cum ovis ſorbilibus, crem. lact. cum album. ovi amygdalis & ſaccharo, vel lac cum ovis & farina coct. quæ apud nos german. appellantur Kachelmůßlein, Seidenmůßlein, Blattenmůßlein &c. Juſcula lactea cum ſuccolata Indorum, vel cum aqua & vitell. ovi. Radices paſtinacæ junior. ſcorzoner. cinaræ fructus vel cum juſculis, vel aliis ita coct. ut facilis ſint digeſtionis, & multæ nutritionis; ſimili modo carnes juniores vitul. caprill. agn. reliqu. animal. & volucr. domeſtic. probe conciſs. ac contrit. locum habent. Interponi poſſunt his gelatinæ ex fructibus horreis melioris notæ, aut ipſi fructus cocti: Uti ſunt poma Borſtorfiana, Renette, Cydonia &c. cum his panis optime fermentat. aut bis coctus concedi poteſt per ſe & in juſculis variis. Pro potu conducit ptiſana ex raſur. Ebor. c. c. paſs. minor. & herb. ſcolopendr. vel ſanicul. & Cort. Citr. aut decoct. hordei vel & aqua fontana optim. cum tantillo vini mitioris coct. & ſacchari fruſtulo; aut etiam, ubi neque adeſt febris, neque metus recidiv. hæmorrhag. ſubinde hauſtulus vini alicujus generoſi, vel ſimilis cereviſiæ. Ex fonte pharmaceutico, ni febris, aut major anæmiæ gradus cum animi deliquio, aut aliud quid urgeat, parum aut nihil requiritur. Sed ægroti raro contenti ſolis diæteticis, pharmaceutica quoque deſiderant. Quamobrem facile gratiora nonnulla analeptica Julapia, vel Emulſiones, vel Tincturas & Mixturas tanquam formulas magis acceptas præſcribere poſſumus ſeq. in mod.

℞. Aqu. Borrag. ceraſ. nigr. aa. unc. v. Plantag. unc. duas Syrup. papav. errat. Cydon. aa. unc. I. m. d. ad vitr. ut ſingul. bihorio aliquot unciæ hauriantur. Pro Emulſione ℞. ſem. melon. cucum. papav. alb. amygd. dulc. rec. excort. vel ubi recent. nucl. pinei haberi poſſunt aa. Drachm. II. aqu. Bugloſs. Borrag. aa. unc. IV. Roſ. unc. ſem. Fl. Til. unc. I. F. L. a. Emulſ. col. add. Syr. de Symph. Fern. Capill. vener. aa. unc Sem. Spiritus nitr. dulc. gtt. x. m. d. ad vitr. ut quavis hora aliquot unc. bibantur. Pro Tinctura, ℞. Flor. viol. borrag. roſar. rubr. aa. p. II. Tunic. pug. ſem. aqu. ceraſ. nigr. lactuc. aa. q. ſ. ut fiat l. a Tinct. unc. VI. cui add. ſyr. Papav. errat unc. ſem. Eſs. dulc. hallenſ. ſimpl. ſcrup. I. aqu. naph. drach. I. m. d. ad vitr. ut æger omni bihorio capiat aliquot cochlearia plena. Ipſa Eſſent. Hallens. ſimpl. etiam in multis caſibus ſingul. vi. vel viii horis ad gtt. XX. aut XXV. cum aqu. fl. Til. vel Borrag. aut alio ſimili convenienti vehiculo tuto concedi poteſt. Hujus virtutis & effectus plurima alia dantur, quæ pro re nata præſcribi poſſunt & in anæmia a reliquis nimiis evacuationibus orta, modo quis obſervet E. G. lacticinia & Juſcula carnea pura vel & cancrorum fluviat. In anæmia a diarrhæa, aut vomitu, vel hiſce adhuc præſentibus non æque conducere ac in aliis caſibus; ſimiliter in anæmia cum præſente jam cachexia, leycophlematia vel & hydrope, lac & lacticinia non proficua eſſe; & ſic porro. In anæmiæ caſu ab obſtructione quadam aut ſcirrho, cum anorexia perpetua, vel etiam cum polypo, ex ſupra comendatis, tam diæteticis, quam pharmaceuticis horumque aliis ſimilibus, ea ſunt eligenda & adhibenda, quæ non adſtringunt, ſed potius aperiunt & reſolvunt. Anæmia ex diu tolerata fame alia non exigit. Extus in quibusdam caſibus forte aliquid faciunt quoque enemata, & fomenta nutrientia. In Lipothymia excitantia ſpirituoſa, naribus, temporibus, cordis regio-

regioni applicata. Omnia autem hæc & plura alia ſimilis virtutis in ſananda anæmia, ſtudio brevitatis hic omiſſa, in quavis regione & quovis caſu a prudenti Medico ad cujuslibet ægrotantis ætatem, ſexum, temperiem, conſuetudinem, morbi circumſtantias &c. ita accommodari ſolent, ut non ſolum anæmiæ reſpectu optime, quantum fieri poteſt, cedere queant, ſed & morbis, a quibus anæmia producta, vel quibuscum conjuncta eſt, contraria ſint: Illud enim monente Celſo ignorare non oportet, quod non omnibus ægris eadem auxilia conveniant. E. G. Ruſticus paucioribus minusque ſubtilibus & alimentis & medicamentis contentus eſt. Infans, puer & puella adultis cæteris paribus exigunt pauciora ac ſubtiliora, ſed brevioribus fere temporis intervallis propinanda. Maximi etiam momenti eſt, quævis alimenta, potulenta ac medicamina opportuno exhibere ſemper tempore. Quamvis enim hæc regula generalis ſit, ac in omnium aliorum morborum curationibus locum habeat, hic tamen imprimis eſt ob debilitatem corporis obſervanda. Anæmiam antevertimus, curatione & ablatione eorum morborum, a quibus eam proficiſci ſupra vidimus. Ultra nunc progredi animus non eſt.

FINIS.



Comme



Σ. Θ.

COmme un Arbre, qui vit de l'humeur qu'il attire,
Meurt, quand il eſt ſevré de ce ſuc nouriſſant;
Ainſi, deſtitué de Chiles & de Sang,
Bientot le Corps humain d'épuiſſement expire.



Sola Satis Nomen, Zwicki, tua ſcripta decorant,
Ullo nec plauſu maſcula virtus eget;
At ſi Muſa ſilet nunc, Laudis neſcia: ſunto
Effuſa, ex imo pectore, vota, meo.
Queîs ſi flectuntur ſuperi, manante per artus,
Purpureo ſemper ſanguine, ſanus eris.

Pauca hæc,
Nobiliſſimo Dn. Reſpondenti,
Fautori, Amico
Æſtumatiſſimo
in perpetuum ſinceræ Amicitiæ
Teſtimonium, gratulabundus,
appendebat.

D. C. E. BERDOT, *Montisbelgardenſis*
Medic. ac Chirurg. artium Cultor.